



Im. 17.





LAVRENTII HEISTERI  
**O R A T I O**  
DE  
HYPOTHEΣIVM MEDICARVM  
FALLACIA ET PERNICIE,  
*PVBLICE DICTA*  
IPSIIS NONIS DECEMBER. CID 10 CXX.  
*CVM EX DECRETO*  
ILLVSTRIVM ACADEMIÆ ALTORFINÆ  
CVRATORVM  
ANATOMES ET CHIRVRGIÆ  
PROFESSIONEM  
SOLENNITER SVSCIPERET.



LITERIS ET SVMTIBVS KOHLESI ACAD. TYPOGR.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE

Üa 6069 (1)

*ILLVSTRBVS ET GENEROSISSIMIS*  
ACADEMIÆ ALTORFINÆ

# CVRATORIBVS

DN. CHRISTOPHORO FVRERO

AB HAYMENDORF IN WOLCKERSDORF  
SERENISSIMI DVCIS PALATINO - SOLISBACENSIS  
CONSILIARIO INTIMO  
SEPTEMVIRO ET RERV M SACRARVM EPHORO,

DN. GVSTAVO GEORGIO TEZELIO

A KIRCHENSITTENBACH, IN VORRA ET ARTELSHOFEN,  
SEPTEMVIRO,

DN. CAROLO GVILIELMO WELSERO

A NEVHOE,

DN. CAROLO BENEDICTO GEVDERO

AB HEROLDSBERG, IN STEIN,

INCLVTAE S. R. I. LIBERÆ REIPVBЛИCÆ  
NORIMBERGENSIS SENATORIBVS  
CONSVLARIBVS,

*HANC ORATIONEM CONSECRAT*

VENERABVNDVS  
LAURENTIVS HEISTER.

# ILLVSTRES AC GENEROSISSIMI VIRI

ACADEMIÆ VESTRÆ  
CARTORIAS  
IN CHIRURGIA LIBERIS

**P**lures sunt rationes, cur Nomi*n* Vestro splendi-  
dissimo banc inscribam orationem: præcipua vero  
est, quod, pro tanto beneficio, quo me, præter  
meritum, in conferenda Anatomes & Chirurgiæ  
professione, affecisti, grati animi tesseram **VOBIS**  
exhibeam.

Atque ad hunc insignem favorem quodammodo demeren-  
dum, omnem nervum intendam, ut Philiatris quam maxime  
prosim: nam hoc est præcipuum, quod à me desideratis.

Illud autem pro viribus me præstirum esse, sancte vobis  
policeor, si modo **VESTRA BENEVOLENIA & AVCTO-**  
**RITAS**, de quibus magnam concepi spem, conatus meos secun-  
dabit, non magna pecunia vi, nam hoc non est quod peto; sed  
quod **VOBIS** facilimum, mibique gratissimum, procurando suf-  
ficientem cada verum numerum, vel violenta morte extintorum,  
vel quod idem mibi est, in Nosocomio defunctorum.

Quod si feceritis, industria mea haud aliis indigebit calca-  
ribus, atque hoc in **ACADEMIÆ VESTRÆ** utilitatem,  
incrementum, & in totius patriæ gloriam cessurum esse, nullus  
dubito: Nam hoc modo efficere potestis, ut Germani nostri,  
in sua patria, exiguo pretio & facili opera, talem anatomes  
& chirurgiæ scientiam acquirere possint, qualem in exteris re-  
gionibus, non nisi magnis sumptibus, & ob docentium multorum  
malam fidem, invidiamque, non nisi difficilimo labore consequuntur.  
Valete mibique & imposterum favete.

LAVRENTII HEISTERI  
ORATIO  
IN AVGVRALIS.

**A**Item Medicam à paucis quibusdam cœ-  
pisse *experimentis*, paucisque temporis suc-  
cessu crevissē, atque hinc foli experientiæ  
prima sua debuisse fundamenta & progres-  
sus, res est tam Medicis, quam antiquita-  
tum cultoribus notissima, sicut & certissima.

Quis enim politioris ingenii dubitabit, mox in rerum  
primordiis morbos genus humanum affixisse? Varias  
enim ob causas primis ævis hominum corpora vitiare ac  
morbosa fieri potuisse, nullus sanæ mentis facile ibit in-  
ficias; nam injuriis externis, uti & nos hodie, fuerant  
expositi, tempestatibus scilicet calidis, frigidis, pluviosis,  
fulminibus & tonitribus, exhalationibus omnigenis, pu-  
tridis, venenatis, aliisque noxiis quibuscunque, varia  
corpori humano danina inferentibus, à quibus inscii ho-  
rum effectuum, minus sibi cavere poterant, quam nos,

aliorum infelibus edocti, sapientioresque facti successibus: nam quid fumus carbonum suffocatorum vel fossiliū, quid fumus sulphuris, quid exhalationes nonnullae in metallifodinis valeant, quid spelunca illa in agro Neapolitano, canina dicta, possit; multorum mortes vel saltem summa vitae pericula nos certiores fecerunt.

Sic nos hodie exploratas habemus lethiferas quorundam vegetabilium virtutes, quas primis seculis ignorabant; exempli loco sint, cicutæ aquatica, apium virosum, aconitum, fungi venenati, aliaque similia, à quibus prisci multa pericula atque incomoda perpetræ sunt, ob experimentorum illis temporibus defectum, & ignorantiam talis internecinæ facultatis; nam qui adhuc hodie ejusmodi venena, inscii ipsorum virium, assumunt, vel gravissimis symptomatibus, vel ipsa morte luere coguntur; qualia exempla multa scriptis nobis reliquit veneranda antiquitas, recentiorumque plurimæ tradiderunt observationes.

Tale quoque tristissimum ultimo adhuc vere Amstelodami, ex aconiti quadam specie per errorem assumta, nobis videre contigit exemplum; quid igitur mirum, si primævi victimæ queritantes similia sint experti?

Relicta jam qualitate assumtorum, si considereremus quam perniciössima mala corpus humanum infestare ob quantitatatem eorum soleant, omnibus enarrandis dies non sufficeret; antiquissimis vero ævis homines jam luxuriæ fuisse deditos, ipsæ sacrae testantur literæ; An non igitur eosdem similibus, ac nos, correptos fuisse morbis est verisimilimum?

Sic

ORATIO IN AVGVRALIS.

Sic & ex cæteris rebus, quæ non naturales vulgo di-  
cuntur, eos multa incommoda, variasque infirmitates  
sustinuisse, non est quod dubitemus; quotusquisque enim  
negabit corpus labefactari posse, vel ex nimio motu &  
quiete, vel ex somno & vigiliis modum excedentibus,  
nec non à retinendis excernendisque læsis?

Quis vestrūm, A., ignorat vim ingentem, qua pa-  
siones animi, ira præfertim, terror, tristitia, mœror,  
metus &c. corpus humanum afficere, mutare & corrum-  
pere valent: ab iis autem priscos, quia homines erant,  
non exemptos fuisse, verissimum est.

Quid? si animo perpendamus, homines olim, uti ad-  
huc hodie saepe fit, læsos procul dubio non raro fuisse  
variis casibus; ut iētu, lapsu ab alto, igne, iētibus ser-  
pentum, scorpionum, morsibus ferarum, aliorumve  
animalium; has læsiones sequebantur dolores, dolorum  
molestias à se removere, omnibus animalibus innatum  
est: nam videmus canes suorum vulnerum dolores lam-  
bendo lenire, cæteraque animalia, ne vilissimis quidem  
insectis exceptis, dum ipsa doloribus afficiimus, non ob-  
scurum repugnantiæ signum dare, dolorisque amotio-  
nem moliri.

Sic inprimis homo, animalium omnium sagacissi-  
mum, præ reliquis mirè suæ conservationis est studio-  
sus: quanta & qualia non machinatur auxilia, ut æru-  
mnas vel imminentes avertat, vel præsentes pellat re-  
moveatque; hinc conjectu facile est, hominem non mi-  
nus ac bruta, doloribus vexatum, eorum sublationi omni-  
bus studuisse viribus; unde etiam evenisse arbitror, ut  
Medicina quædam, apud omnes gentes, imperitissimas  
quam-

quamvis , & maxime barbaras , reperiatur ; nam profecto misera & tædiosa hominis est vita dolorum molestiis comitata : propterea si quis acicula pungitur, eo ipso momento manum , instinctu quodam naturali retrahit: vel si quis doloribus ex combustione subortis corripiebatur , remedium quærens huic dolori repugnans , forte fortuna oleum vel pinguedinem applicat , & solamen si inde percipit, hoc ipsum aliis vicibus vel in seipso , vel in aliis cum successu adhibet; concludit tandem , oleosa do- lores ex ambustione mitigare : atque sic fiunt remedia.

Eodem modo olea & pinguedines , ad alias quoque dolorum species , ob similitudinem applicata , proficia sæpe reperta sunt ; hinc regulam practicam formarunt : olea nempe & pinguedines lenire dolores.

Sic , si quis graviter fauciatus , sanguinem multum profundere , pallescere , animoque linqui deprehensus sit, adstantes , ne periret jam semi mortuus , de auxilio sane solliciti fuerunt , eoque cito , quia periculum in mora; facile cognoverunt vitæ hoc imminere periculum ob copiosum sanguinis fluxum: hinc verisimile mihi videtur, illos cogitasse de vulneris obturazione , & ut illud profluvium inhiberetur , linteis forsitan , quæ præsto erant, vel similibus , vulnus deligasse , quo factò , hæmorrhagia cesabat , & vulneratus paulo post ad se redibat.

Ex successu hujus experimenti observato , cum antea sine dubio plures periissent , idem vel simile tentabant in aliis vulnerum hæmorrhagiis , atque ex talium experimentorum serie tandem axioma fecerunt & pronuntiabant: omnem sanguinis fluxum enormem esse infibendum.

Si

ORATIO IN AVGVRALIS.

Si quem pertinacior alvi vexaret egestio , ut inde tandem & dolorem & debilitatem corporis perciperet, ille, hercules , de remedio adstringente vel fluxum fistente videtur fuisse sollicitus : quando igitur quid assumferat, quod vel casu primum occurrebat , vel ex quacunque causa ipsi tale videbatur ; si ex voto non succedebat, æger vel peribat, vel aliud forte quærebatur, donec tandem aliquid reperiret, ex quo levamen sentiret. Tale medicamentum , si saepius postea talem præstabat effectum , adstringens dictum est , & ad alvi fluxus proficuum.

Alius in ardore febris constitutus , sitque excruciatus , ipsa monente natura , aquam hausit subinde , & folamen inde percipiens , idemque in aliis pluribus fieri observans , concludit tandem : Ergo aquæ potus in febribus conducit , partim refrigerando , partim sitim sedando.

In aliis febribus videbant hæmorrhagias saepius suboriri spontaneas , à quibus ægri melius se habebant: hinc in his morbis sanguinis missionem salutarem fore judicarunt , & modum sanguinem e corpore educendi excogitarunt ; atque ex hujus faustis successibus regula orta est: in febribus continuis prodeesse extractionem sanguinis.

Sic Opium afflentes multum dormiverunt , hinc illud in vigiliis nimiis & doloribus prodeesse concluerunt.

Hydropicus quidam de salute desperans , cultrum abdomini intrudens , aqua effusa sanatus est , & inde paracentesis inventum deducunt.

Ita in aliis quoque morbis medicamina vel ex similitudine morbi incogniti cum morbo jam noto , vel ex  
B gustu,

LAVRENTII HEISTERI

gustu, vel, quod ut plurimum accidebat, casu fortuito pri-  
mum inventa sunt, sic tamen, ut non nisi aliorum salute,  
aliorum interitu, teste Celso, perniciosa à salutaribus di-  
scerni potuerint; multiplici verò postea multorum anno-  
rum experientia hæc confirmata, minus commoda, post-  
quam meliora cognoverant, rejecta sunt.

Rideo autem merito illas fabulas, perhibentes multa  
remedia ab oraculis hominibus innotuisse, atque sic à  
Diis proximè accepta fuisse, quippe has revelationes non  
nisi fraudes sacerdotum (qui tunc temporis Medicinæ  
operam dabant) lucri causa institutas, habendas censeo;  
quæ verò in sacra scriptura occurrunt remedia, quia ple-  
raque effectum quæsitum non amplius præstant, tanquam  
medicamenta ordinaria non considero, sed aliunde eorum  
vires deducendas esse, mihi persuadeo.

Ex prædictis igitur constare puto, Medicinam sua pri-  
mordia & incrementa sumsisse ab experientia & observa-  
tione effectuum remediorum; donec tandem venirent,  
qui totos se his observationibus darent, & qui medica-  
tionem ægrotantium susciperent; hos Medicos vocabant:  
Ante verò Medicorum tempora ægrotos in vicis urbium  
expositos fuisse, ut transeuntes, si quæ nossent, salutaria  
ipsis impertirent consilia, perhibent.

Aliis in locis moris erat remedia experta tabulis in-  
scripta in Deorum templis & fanis suspendere; hinc si qui  
adversa conflictabantur valetudine, ad tempora confugien-  
tes, consilium ab hisce tabulis, vel à sacerdotibus, harum  
tabellarum præfectis, & experimentorum observatoribus,  
petebant; Atque hæc erat Medicinæ facies ante Medico-  
rum tempora.

Ve-

## ORATIO IN AVGVRALIS.

II

Veniam jam date , quæso , Auditores , ut paucis ob oculos Vobis ponam , primò Medicinæ statum , in quo erat tempore Hippocratis , vetustissimi scriptoris Medici , & Principis Medicorum : deinde quomodo postea per varia figura menta ludicra & vanas hypotheses immutata , turpissimeque per longam seculorum seriem conspurcata & corrupta fuerit ; denique quomodo ab his nugis & quisquiliis rursus purganda , in pristinum restituenda statum , atque antiquus Hippocraticus splendor ipsi recuperandus sit : quæ omnia brevitat & perspicuitati cum primis studiis , sine ullo tædioso verborum fastu , sed simplici , attamen clara oratione me præstirum confido , si modo be nevolas aures , sicut hucusque fecistis , paulisper adhuc mihi præbere non recusabitis .

Percepisse Vos , A. O. , ex modo dictis arbitror , quomodo Medicina ex casibus atque experimentis ut plurimum fortuitis , prima sua duxerit initia , & quomodo factorum eventuumque observatione veros fecerit progressus . Has observationes , iteratis experimentis natas , magno labore undiquaque , primus , quantum scimus , conquisivit *Hippocrates* , Vir summo ingenio & pertinaci industria præditus .

Hic ex multis optima quæque & propriâ sibi experientiâ comprobata , selegit , eaque in axiomata practica fidelissime redacta , scriptis suis auro quovis præstantioribus , atque omnibus Medicinam exercentibus serio commendandis , reliquit ; in quibus non solum morborum symptomata , mutationes & eventus rarissime fallentes , accurate descripta , sed & optimam medendi methodum , magna cum animi voluptate invenimus .

B 2

Uti-

Utinam verò posteriores Medici eādem viā semper incessissent , atque methodum observandi ab Hippocrate præscriptam rectius observassent , quid scilicet natura in hoc vel illo morbo intendat , qua ratione ad suum finem aspiret , quænam impedimenta Medicus removere debeat , ut facilius & certius suum finem assequatur ; quando vel cibum vel medicamenta , vel nihil dare conveniat , quando sanguis mittendus , vel alia humorum evacuatio instituenda , quibus in casibus motus & exercititia corporis , frictiones , balnea &c. conducant , denique etiam quando ferro & igne utendum ; ad majus sane fastigium , quam quo nunc est , tam longo multorum seculorum cursu , Medicina pervenisset.

Sed eheu ! in quem deplorandum incidit statum , postquam rationi plus quam experientiæ fidere coeperunt , illi , qui artem Medicinæ profitebantur ; quam ridicula formarunt ratiocinia , quot falsas atque absidas certatim conceperunt hypotheses , postquam fingere pulchrius videbatur , quam verum inquirere : inde verò tot inutilia artis utilissimæ systemata condita sunt , & dissentibus pro oculis obtrusa .

Permitte , obsecro , A. , ut brevem horum corruptorum Medicinæ seculorum historiam vobis enarrem , ut perspicatis , quomodo à via regia , ab hypothesibus seducti , defecerint , & per devia loca & labyrinthos inextricabiles erraverint , quamvis faciliorem sanandi modum se reperisse putarent .

Medici igitur post Hippocratem in tres præcipuas abiēre sectas , quarum unam Empiricam , Methodicam alteram , tertiam Dogmaticam vocarunt .

*Empi-*

ORATIO IN AVGVRALIS.

*Empirica* nomen ab experientia sibi vindicabat, quia  
in curatione ægrorum hâc quam maxime nitebantur, atque  
sic Hippocraticam methodum præ cæteris sequebantur.

Non autem putandum, eos empiriam nostrorum circumforaneorum, vel imperitæ plebis more exercuisse, atque promiscue, sicut hi facere consueverunt, quicquid vel primum occurrebat, vel quicquid semel conducere in hoc vel illo morbo audiverant, cuique subiecto sine discriminè applicuisse; e contrario certum est, illos regulas Hippocraticas diligenter fuisse imitatos, omnesque circumstantias, ut causas manifestas, tempus, statum morbi, ætatem, sexum, habitum corporis, vires ægri, juvantia & lædentia, analogiam morborum incognitorum cum cognitis, &c. probe prius considerasse, atque secundum has medendi methodum instituisse. Vnde apparet, illos tales non fuisse empiricos, rerum omnium rudes, quales hodie sunt circulatores illi, sed reapse empiricos rationales, id est, qui experientiæ rationem junxerunt, ita tamen, ut ratiocinia non a priori, sed ab experimentis & eventibus rerum formarent; Minimè enim existimandum, ut nonnulli falsò perhibent, illos omnem rationem è Medicina, sed illa tantum à priori petita, & conficta aliarum sectarum phantasmatâ exterminare voluisse, quod varia eorum testantur monumenta.

Malè autem empiria successu temporis audire coepit, & nomen perquam odiosum fieri, postquam aliæ sectæ, nescio quo fato, (forte ob ignaviam Medicorum) dominium adeptæ sunt: hinc mox, ut talibus in casibus fieri solet, contemnebatur, & cum homines ratiociniis (quæ domi facile fingi possunt) magis delectarentur, quam molesta

lestæ & plurimis tædiosæ morborum ad lectum ægrotantium observatione , commodaque medicamentorum applicatione , penitus tandem , quod dolendum ! vetus empirica secta exolevit atque extincta est , quæ sane omnium erat antiquissima & optima , sed difficilima ; atque ex horum procedendi modo , si hic semper continuatus fuisset , vera tandem Theoria Medica condi potuisset .

Altera Secta *Methodica* dicebatur , quia ejus autores methodum quandam & meliorem & faciliorem reliquis se dare posse gloriabantur , ita , ut intra aliquot mensum spatum , artem Medicam aliquis discere posset : propterea non solum omnem fere dogmaticorum theoriam , omnes definitiones , causas morborum obscuras , locorumque affectorum cognitionem contemnebant , sed etiam empiricorum , cum labore , tum in observando industriam damanabant & tanquam inutilia rejiciebant .

Satis autem esse putabant communia quædam morborum intueri , hanc ob rem omnes morbos ad tria genera referebant ; primum ad strictum vocabant , in quo partis cuiusdam fibræ nimis rigidæ erant , & hinc excretio quædam in corpore humano impedita : ut , si urinæ vel excrementorum evacuatio est supprepta .

Alterum genus , fluens vel laxum dixerunt , in quo fibræ partis affectæ nimis relaxatae erant , ita ut contenta retinere amplius non valentes , ipsa effluere sinant . & inde excretiones augeri statuebant : ut in hæmorrhagiis , diarrhoea , gonorrhœa , coryza , salivationibus spontaneis &c. observamus .

Tertium mixtum appellabant , quando ægri in alia parte

ORAT O INAVGVRALIS.

75

parte parum . in alia nimium excrenebant : nam in eodem morbo aliam partem strictam , aliam laxam nimis esse posse non negabant ; ciendum enim eos in partibus solidis morbos præcipue nidulari existimasse , prout earum fibræ vel nimis rigidæ & strictæ , vel prout nimis molles , flaccidæ seu relaxatae essent , atque hanc ob rationem de fanguinis aliorumque humorum statu parum erant solicii.

In Curatione igitur tria, ut Medicus observet, sufficere docebant : nempe , si evacuatio quædam solita deficiat , illam ad naturalem evacuationem esse reducendam ; si profluvio corpus laboret , illud esse continentum ; si tertium genus occurrat , ita ut evacuatio in alia parte sit aucta , in alia suppressa , occurrentum vehementiori malo ; unde liquet , totum illorum Medicinam positam fuisse vel in solutione vel in adstrictione , quæ miram profectò pollicebatur Medicinæ addiscendæ facilitatem ; sed quot & quantis prematur difficultatibus , longius meam , quam par est , protraheret orationem , si eas enarrare singulas vellem . Sufficit tantummodo hic indicasse , lippis etiam & tonsoribus esse notum , non in omni evacuatione nimia mox conducere adstrictionem , nec in quavis adstrictione , mox solutionem.

Denique tertia Secta *Dogmatica* audiebat , cuius Señatores Medici rationales vocari gestiebant ; verum hi ratione maxime abusi sunt , & in rebus seriis , quid dico feriis ? summe necessariis & maximi ponderis luserunt , atque Medicinam tot ratiociniis inutilibus & conflictis repeverunt , obscurarunt , obrueruntque , ut nihil supra.

Horum tandem strenuissimus defensor & Dux factus est

est *Galenus*, qui quidem ob summam in anatomie industriam omni laude dignus, meritisque honoribus decordanus, dum omnibus Medicis tam praecedentium temporum, quam subsequentium, si modo duo ultima nuper praeterita excipiamus secula, in hoc studio palmam præripit.

Dolendum autem est, virum tanti ingenii, eruditio-  
nis ac laboris, tanta cognitione anatomes instructum,  
tot in artem Medicam introduxisse, vel saltem defendisse  
dogmata, quæ nugis & fabulis, quām vero multō sunt  
similiora, animumque suum magis applicuisse disputa-  
tionibus sterilibus, ac inutilibus, quām veri inquisitioni,  
atque sic vastis suis operibus nihil aliud effecisse, quām ut  
medendi rationem Hippocraticam, experientiæ & obser-  
vationi superstructam, inverterit, corruperit nihilque  
boni ipsi adjecerit, sed potius pro veris innumera obtru-  
serit figmenta.

Illa autem, miro rerum fato, ita placuerunt omnibus  
post eum, & fere ad nostram usque memoriam, Medicis,  
ut unanimi consensu ejus dogmata, ac si è tripode pro-  
lata essent, acceperint, & admirati sint; atque hoc modo  
tantam adeptus est autoritatem, ut ne ausi quidem sint  
de ejus doctrina vel dubitare saltem; imo tanquam hære-  
ticos persecuti sint, qui alia sentirent, haud secus ac si  
divinitus ipsi omnia fuissent inspirata, à quibus ne unguem  
quidem recedere liceret.

Hinc, sicut Theologi in Sacro codice explicando oc-  
cupati sunt, ita Medici solum in Galeni scriptis illustran-  
dis omnēm navarunt operam; atque hunc solum vere  
& solide doctum, Medicumque insignem judicarunt, qui  
ejus

eius optimè callebat placita , & de his acute disputare noverat.

Sic non solum Arabes , sed & omnes Europæ Medicis ad XVI, seculum usque senserunt , & , dum de progressu Medicinæ ne quidem solicii erant , atque Galenum rem omnem exhausisse crediderant , in turpissimis ejus erroribus obduruerunt.

Vah ! quot figmenta commenti sunt circa temperamenta & eorum quatuor humores , circa facultates naturales qualitatesque corporum ? quot dissidentes opiniones circa causas morborum latentes formarunt ? quam acriter saepius disputatione de discrimine inter mōrbum & symptoma , inter partem spermaticam & sanguineam ? quot vanas pulsuum differentias excogitarunt ? quam fuitiles graduum facultatum medicamentorum distinctiones considerunt ? & quotusquisque erat morbus , quem non vel sympathia , vel transplantatione , vel amuleto quodam , curare putarent ? At quis omnia eorum commenta enarrare potest ? tædet nugarum , quibus nobilissimam artem conspurcarunt , atque hinc non sine ratione Molierus , lepidissimum illud caput , & jucundissimus Galorum comicus , Medicos sui temporis & in primis Professores Parisinos , ex merito illorum , risu & sarcasmo prosecutus est , Galenicæ sectæ non solum addictissimos , sed etiam propugnatores acerrimos .

Atque deformi tali incedebat facie Medicina , cum *Paracelsus* , vir gloriabundus & fastu turgidus , sesquicolo haud pridem elapsò surgens , in placita Galeni vehementer inveheret , Medicos sui temporis , qui omnes erant Galeni asseclæ , contemneret , eorum fundamēta

C

ever-

everttere , ac nova e Chemia petita substituere contendet ; hinc discipuli ejus , quorum magnum brevi consecutus est numerum , Chemici appellati sunt , atque haec secta mox tantum cepit incrementum , ut Galenicos non solum , cum quibus diu & acriter dimicatum est , superaret , sed penitus fere extirparet.

Ast , utrum Medicina sub horum imperio felicius an infelicius fuerit exercitata , res est determinatu difficilima : negari quidem non potest , eos nonnulla egregia & heroica medicamenta invenisse atque in usum vocasse , quae Galenici ignorabant : sic nemo ante Paracelsum mercurio tanto cum successu uti noverat , quam ipse ; præterea & opii usum instauravit , quod ob inanem nimiae refrigerationis metum prorsus negligebant.

Verum quot obscura , quot hyperbolica , quot ficta & penitus fallâ dogmata protulerit , quot vocabula barbara & inaudita prius , (nescio utrum ostentationis an fraudis causa) excogitaverit , facile ille agnoscat , qui scripta ejus pervolvet ; verbô , tantus fuit nugator , ut vix sapiens quis , hoc tempore , in perlegendis aliquot paginis operum ejus à cachinno temperare sibi possit.

Inter cæteros Paracelsi discipulos multum eminent *Helmontius* , vir in arte chemica nulli postponendus , verum in Medicina ostentator quoque summus : multa quidem Paracelsi dogmata immutavit ; pauca vero , quæ curationem spectant , meliora dedit.

Introduxit in Medicinam archæum suum & fermentum , à quibus omnes in corpore fieri actiones putabat ; quas non tragœdias , quos tumultus , archæus ille iratus & fu-

ORATIO IN AVGVRALIS.

19

& furibundus in corpore humano excitare poterat ? quam vim non suis tribuebat fermentis ? quæ verò jam abunde, cum multis aliis ejus chimæris , à sanioris Medicinæ Professoribus confutata , & tanquam fictitia plane sunt explofa.

*Sanguinis* præterea è corpore *missionem* in quibusunque morbis damnavit seriò , falsa nixus hypothesi , sanguinem quantitate non posse peccare , cum tamen & experientia quotidiana , & lana ratio contrarium clament.

Tandem & Helmontius omnium perniciosissimum illud dogma in scenam produxit, nimirum *acidum in ventriculo esse fermentum* , non solum ciborum digestionem perficiens , sed & plurimos morbos producens ; quod, si sit in intestina delapsum , tortima vel dolorem colicum excitaret, si in renes & vesicam , ardorem urinæ , si cuti inhæserit, scabiem; si artubus , podagricos dolores; si ulceribus , carnium consumtionem , & sic in aliis morbis rem se habere , audacter pronuntiabat.

Ab hoc deceptus *Tachenius* , egregius quamvis Chemicus , pessima quoque praxeos posuit fundamenta, morbosque fieri putavit, ubi vel acidum in parte quadam abundet , vel ubi acidum offendens alcali , effervescentiam cieat, unde febres, inflammations, dolores, & alia mala producantur ; atque sic acidum omnium morborum constituit causam ; hinc non nisi medicamenta acido contraria convenire & exhibenda esse judicavit ; quanto verò cum ægororum damno hoc factum sit , mox dicturi sumus.

Eundem errorem errarunt viri plurimi , magni licet nominis, inter quos primarii sunt *Willifius* , *Sylvius* , *Craig-nius*,

C 2



*nius, Bontekoe, Ettmullerus, &c.* & normulli inter vivos adhuc existentes Professores Medici, qui quamvis multa & ingentia volumina in lucem emiserint, ubique tamen, ubi de causis morborum loquuntur, vel fermentum, vel acidum, sanguini viscedinem, coagulationem vele effervescentiam inducens, accusant, à quo omnia & varia morborum symptomata deducunt, cum certe acidum illud sæpiissime sit innocentissimum: factum tamen est, ut perniciossima hacce hæresi totius fere Europæ Medici infecti sint, ita ut nullus haberetur bonus Medicus, qui non secundum hæc principia praxin exerceret; imo ipsi Chirurgi, barbae tonsores, balneatores & circulatores omnes, de causa tumoris, vulneris, ulceris vel alias cuiuscunque morbi si forte interrogarentur, in promptu ipsis erat ratio: mox vultu gravi atque alto superciliosus respondebant, acidum peccare in hoc morbo; hoc ubique tanquam causam accusabant; hoc alcalicis fixis & volatilibus destruendum, viscidum sudoriferis & bezoardicis dictis, attenuandum esse, clamabant; atque hoc modo se rem bene gessisse putabant, imo quilibet medicaster causas morborum eorumque sanationem ex his principiis se optime nosse, temere sibi persuadebat.

Sed hinc illæ lacrymæ! tali enim methodo quamplurimi ægri, vel ex levi morbo in maxima vitæ pericula conjecti, vel omnino præmaturam mortem subire coacti sunt.

Nihil melius præstiterunt in praxi Medica *Cartesiani Medici*, quamvis per imaginaria eorum elementa, aliaque ludicra imperceptibilium particularum phantasmata, fusque deque habitis observationibus, à priori morborum causas & curationes demonstrari posse contenderent.

Tan-

Tandem vero despere desit, & supra cæteros caput extollere coepit clarissimus *Sydenhamus*, magnus ille Medicinæ veræ & Hippocraticæ instaurator, vir sane magni judicii atque antiquæ fidei. Hic hypotheses Medicorum illius temporis ad rationis & experientiæ lancem revo- cans, incredibili tandem labore atque indefessa multorum annorum investigatione, invenit & demonstravit argumen- tis quamplurimis, ab usu depromptis, vanitatem ac fallaciam illarum hypothesis, & quæ mala inde sequan- tur, cuilibet ob oculos posuit.

Verum non solum cognovit illos errores, sed etiam eos magno cum judicio emendavit, & meliorem metho- dum, cum antiqua Hippocratica convenientem, candidè nobiscum communicavit; hinc merito Medicinæ Hip- pocraticæ instaurator dicitur.

Scilicet vult optimus ille vir, ut omnes regulas pra-  
eticas formemus, non ex uno vel altero quodam experi-  
mento, ut plerumque à systematum conditoribus huc-  
usque factitatum est, sed ex observationibus plurimis &  
accuratis morborum; ut discamus veras eorum historias,  
& attendamus ad ea, quæ præcedunt morbum, causas ni-  
mirum evidentes, utrum sc. initium morbi frigus an calor,  
fames an satietas attulerit; tempestates præterea anni, con-  
stitutiones epidemicas, ætatem, sexum &c.; deinde ad  
ea, quæ in ipso morbo adsunt: ubi in primis rimari jubet  
illud, quod natura sibi relicta, sine medicamentorum  
ope, sed solâ à cibis abstinentiâ, vel tenuiori tantum ser-  
vata diaeta, & corpus ab aëris inclemencia defendendo,  
in quovis morbi genere, molliatur: num vel per transpi-  
rationem vel sudorem, diuresin, catharsin, vomitum,

hæmorrhagiam &c. noxiū expellere conetur; atque in diversis talibus casibus naturæ ductum exacte sequi præcipit, hanc nusquam turbandam vel impediendam, multas ob rationes siadet.

Hinc ante omnia, in quovis morbo conveniens regimen, in primis circa aëris moderamen & alimenta, ægris summe necessarium, & tanquam cardinem curationis exigit, quæ illo neglecto vel nulla, vel sane difficilior; atque in hoc negotio juvantia & lædentia maximè esse attendenda monet, quorum prudens consideratio mirum quantum faciat ad genuinam inveniendam medendi methodum.

Alterum quod Medico agendum inculcat, est naturæ agentis observatio, quam Medicus tanquam optimam ducem sequi debet, ut supra jam dictum est: ejusque conatum, si debito modo fiat, conservare, vel si modum excedat, vel languescat, ita dirigere, ut ad requisitum statum redeat, donec tandem illud, quod morbum excitat, subactum vel expulsum sit; ubi in primis ad tempus respiciendum hortatur, ne quid temerè vel præcipitanter fiat, unde innumera orta sunt mala.

Hic articulus, maximi licet momenti, quantum olim negligebatur, & proh dolor! adhuc hodie à multis negligitur Medicis? Res est deplorata dignissima.

Argumenti dignitas meretur, ut rem declaremus exemplo. Notum est, qua detestibili methodo Sydenhami & nostris adhuc temporibus, febribus correptos, debito neglecto regimine & tempore, tractaverint: nempe lecto eos mox addicebant, stragulis ita obruebant, ut sub pon-

pondere gemuerint ; medicamenta postea , superbo quidem & splendido titulo , alexipharmacæ vel bezoardica insignita , ex acrioribus , calidissimis & summe volatilibus plerumque composita , copiose propinabant , ignem in cubiculis augebant , atque hæc omnia eum in finem , ut sudorem (quem natura alias sibi relicta , non in principio , sed causa morbifica jam subacta , producit) ægris procurarent , & , sicut vulgo loquuntur , venenum à corde ad superficiem corporis propellerent .

Ast quanta mala præpostera hæcce induxerit methodus , quot ægros intempestivè jugulaverit , verbis exprime nequeo ; satis id norunt artis periti .

Eodem plane perverso modo curarunt variolis aliisque exanthematicis morbis laborantes , imo & ex inflammationibus gravioribus , pleuritide , peripnevmonia , phrenitide &c. decumbentes , verùm successu utplurimum etiam funesto , quoniam genuinam morbi indolem & periodum neglexerunt .

Hæc Sydenhamus attento considerans animo , & secum reputans , causam illorum eventuum infaustorum ex præpostera illa methodo oriri , errores tandem , accuratisimis observationibus factis , prudentique adhibito iudicio , deprehendit , reprehendit ac correxit .

Constat enim , febrium continuarum , tam essentialium quam symptomaticarum , inflammationibus majoribus supervenientium , ideam consistere in motu velociori cordis , subseqüente exagitatione , & æstu sanguinis , in certum tamen finem à natura suscepitis ; ita ut causam lædentem vel ita immutet , ut circulo rursus apta fiat ,  
vel

vel si prorsus inepta , ut eam ē corpore protrudat . Igitur hæc si debito modo fiant , placide ita conservari debent ; fin verd à regia via deflestant ; nisi mature in ordinem redigantur , machinæ nostræ interitum minantur.

Dé his , tanquam demonstratis , vix quisquam sanæ mentis amplius dubitare potest : unde patet ratio , cur Sydenhamus & cum eo postea prudentiores practici à vulgaris methodo recesserint . Quomodo , quæso , si febris efficiens in velociori commotione cordis & inde pendente æstu sanguinis , quemadmodum revera est , consistit , medicamenta in his morbis vulgo usitata , falsò sic dicta alexipharmacæ prodeesse poterunt ? ex acerrimis sc . & calidissimis ingredientibus composita : qualia sunt celebres illi spiritus & tincturæ bezoardicæ , ex camphora , salibus volatilibus , variis aromatibus ac radicibus odoratissimis , saporis acutissimi , & linguam fere urentis , cum spiritu vini rectificatissimo seu fortissimo præparata , quæ sañissimis saepè febrilia symptomata inducere solent ; quid hæc non poterunt in miseris ægrotantibus , præ nimio æstu jam languentibus & fere suffocatis .

Alii , olea sic dicta bezoardica , spiritus volatiles cornu cervi , ossium , viperarum , eorumque salia volatilia ægris , in talibus morbis , exhibuerunt , sed pessimo consilio & successu : quid enim aliud præstiterunt , nisi ut acri monia sua alcalica , urente , cor jam irritatum , magis adhuc stimularent , & sic quoque æstum sanguinis augerent ?

Accedit , quod jam in febribus , in primis malignis , sanguis pronus sit ad putredinem alcalicam : si igitur talia in talibus morbis exhibentur medicamenta , præterquam quod motum cordis & fervorem sanguinis augeant , sanguinem

ORATIO IN AVGVRALIS.

25

guinem magis & citius putrefaciunt; & sic ex dictis damna à talibus remediis ægrotis illata , cuilibet satis patere arbitror, longeque methodum Sydenhamianam huic præferendam esse , ex sola illius enarratione constabit.

Scilicet laudatissimus ille Vir , accuratissimis observationibus factis , tandem deprehendit triplicem febres continuas sanandi modum , pro triplici illo casu in febribus observabili ; 1. quando natura bene & requisito modo agit , 2. quando imbecillius, quām par est , vel 3. quando impetuosius & præcipitanter rem aggreditur.

In primo casu si sanguinis commotio intra modum naturæ proposito congruentem perficit , ita , ut nec excedat, nec deficiat, tunc à medicamentis prorsus abstineri jubet , atque medicamentum optimum esse statuit, medicamento non uti, ne natura in opere suo rite procedens turbetur , id est , vel retardetur vel præceps agatur ; Sin autem importunitas vel ægrorum vel amicorum, quod saepius fit , remedia efflagitat, tunc ut his partim gratificemur , partim ut famæ consulamus , (ne dicant Medicum hunc nihil scire, vel nihil posse præscribere) innocens aliquod & inefficax remedium, atque hoc in parva dosi esse præscribendum monet ; sic regimine rite observato , circa diem septimum vel 14. despumatio blandè peragetur.

Secundo in casu, in quo vigor cordis imbecillior , ut in pueris non raro, senibus, vel etiam juvenibus diuturno aliquo prægresso morbo confectis, nihil agendum imperat , quod illum vigorem imbecilliores efficere possit; nam tali modo causam peccantem nulla ratione attenuari, multò minus expelli posse , & propterea interitum sequi ostendit ; hinc à venæ sectione cæterisque evacuantibus,

D

ut

ut purgantibus , emeticis , clysteribus &c. religiosè abstinet , quia hæc omnia vigorem imminuant; sed horum loco moderata corroborantia ægris suis exhibit , ex aquis stillatitiis & sirupis vulgo analepticis dictis composita , quæ , si fortiora ex usu eis existimat , confectiones corroborantes , theriacam , diacordium , pulveres bezoardicos blandiores &c. præscribit . Ego tali in casu , haustulum vini generosi , in primis rhenani , subinde assumendum infirmis concedo , cuius vim reficientem , omnia ex pharmacopolio facile superantem , expertus sum saepius.

In tertio casu rem ut plurimum habemus cum juvenibus , vel saltem in vigore ætatis constitutis , ac robustiori habitu præditis : in his Sydenhamus observans sanguinem valde æstuantem , & cor celerius , fortiusque , quam par est , moveri ; ut hæc ad naturalem statum redigeret , quid fecit ? primo loco venam secari jussit , & pro æstu pulsus que gradu , plus minus sanguinis , vel si opus fuerit , repetitis vicibus extrahi curavit : docet enim quemvis attentum experientia , si sanguinis ferventis sufficiens copia emitatur , illum fervorem immittui , & cor blandius tardiusque moveri ; quicquid etiam clamenter jurati nonnulli venæ selectionis hostes , quicquid contradicunt imperiti ac hypothesibus indulgentes .

Deinde percontatur , num nausea vel conatus vomendi adsit ; qui si percipiatur , emeticum exhibit : præterea si alvus adstricta , leni & emollienti tantum clysmate succurrit ; postea ad æstum sanguinis moderandum , regimen refrigerans vel saltem temperatius ægroris commendat ; hinc non solum à stragulorum mole ipsos liberavit , sed etiam , ne cubicula nimis calefierent , curavit :

imò

ORATIO IN AVGVRALIS.

27

imò ægrotantes quotidie per horam unam vel alteram è lecto in sellam reponi jussit , quamdiu vires id permis- runt , ne à nimio illius calore læderentur , sed à tempe- ratori aura reficerentur.

Denique potum modicè refrigerantem , ut sæpius & largiori paulo copia assumerent , præcepit ; hinc exhibenda censuit decocta hordei , avenæ , panis , pomorum &c. vel cerevisiam tenuem puram , vel hydrogalam & similia : quibus effecit , ut non solum acre vel irritans , si quid esset , mi- tigaret & dilueret , sed etiam ut viscidos humores attenua- ret , dissolveret , atque hoc modo aptiores redderet ad sub- actionem vel excretionem , sive hæc fiat per insenilem transpirationem , vel sub forma sudoris , urinæ , alvi fluxus , vel excretionis cujuscunque .

Atque hæc ad sanationem febrium benignarum fere sufficere observavit , nisi quod non raro ad hoc vel illud symptoma , vigilias , tuffes , haemorrhagias &c. si urgeant , privatim sit respiciendum .

Tandem , ubi febres pejoris sunt indolis , calor corpo- ris maximus , fitis intensior , cephalalgia molestior , vel putredo imminens suspecta , usus docuit , præter modo diæta , nitrata , & temperata acida medicamenta esse con- venientissima : hinc potui ægrorum paululum nitri depu- rati adjiciendum est , vel addi possunt acida ad gratum usque acorem , qualia sunt spiritus vitrioli , nitri , salis , vel succi acidi vegetabilium , ut pomorum citreorum , (quæ egregia & vera sunt alexipharmacæ) granatorum , ribesiorum , rubi idæi , &c. horumque siripi , imo ipsum acetum simplex vel destillatum , quamvis talia ignaris male audiant , iisque ea temerè fugiant .

D 2

Ob



LAVRENTII HEISTERI

Ob eandem rationem tantopere in talibus morbis conducunt  
æcta illa prophylactica dicta , quæ revera potentissima sunt reme-  
dia , non solum contra febres continuas & malignas , sed etiam con-  
tra ipsam pestem , quemadmodum testantur autores fide dignissimi ,  
qui vel olim hinc inde , vel nuper adhuc in peste Dantiscana & vicina-  
rum regionum vixerunt , imò observarunt olim , plurimas domus ,  
in quibus acetum conficiebant , à peste fuisse incontaminatas .

Atque tali modo ipse tractavi febres quam plurimas , cùm  
alibi , tum præsertim in nosocomiis castrensis Batavorum , ubi ple-  
rumque magna talium ægrorum copia occurrit ; sed sanctè testari  
possum , hac methodo me , febres pessimis ingruentes symptomati-  
bus , brevi semper ad meliorem morem redigisse & sanasse , nec  
memini , me vel unicum , cui mature adfueram , delirio , phrenitide ,  
vel alio graviori symptomate , quæ ab exagitatione sanguinis alias de-  
pendent , corruptum vidisse .

Neque tantopere timenda est sanguinis ab acidorum usu coa-  
gulatio , sicut vulgares ferunt hypotheses ; fatendum quidem est ,  
acida sanguinem coagulare & animal quodcumque interficere , si  
venis ejus immittitur : & ab hoc experimento , quamvis non rite  
intellecto , omnes fere quandam Medici decepti , acidorum usum  
prorsus damnabant atque execrabantur , cum tamen alia longe res-  
sit , si per os assumentur , quām si sanguini immisceantur ; hinc quæso ,  
cautiores simus in conclusionibus generalibus & hypothesibus fa-  
ciendis , ab unico tantum experimento , & quidem non rite per-  
cepto , depromptis .

An non quotidie videmus , multos magnam aceti quantitatem  
assumere posse sine ullo sub sequente coagulati sanguinis indicio vel  
febre ? Multi ingentem copiam fructuum acidorum , ceraeorum ,  
pomorum , ribesiorum , citreorum , aliorumque vegetabilium aci-  
dorum innoxie devorant ; quot non guttae imò drachmæ spirituum  
aci-

ORATIO IN AVGURALIS.

29

acidorum per os sine damno assumi possunt, quorum tunica vel altera guttula, venis infusa, præsentaneam inferret mortem?

Rarissimè autem vel nunquam observamus, febres ab acidorum multo usu oriri: contra quotidie eas provenire experimur à talibus, quæ sanguinem excalefaciunt & accedunt, uti fit à nimia vini, spiritus vini, aquarum vitæ vulgò dictarum, ingurgitata copia, ut & bezoardicorum vulgarium, aromatum, in primis aeriorum, theriacæ & similiū abusu: quibus etiam sæpe ab imperitis febres intermitentes mutantur in continuas, & continuæ benignæ in malignas, imo lethales.

Verum quemadmodum ex uno absurdō plura sequi, certissimum semper est, ita & hoc hic locum habet: nam postquam illius experimenti gratia concedebant, acida sanguinem coagulare atque inspissare, & in variis morbis sanguinem è vena missum valde spissum videbant; talis multos cepit dementia, ut sine ulteriori indagatione statuerent, omnes morbos ab acido oriri.

Reliqua Medicorum pars cautius procedens, plurimos sātem morbos, in primis tamen febres acido ortum suum debere non dubitavit, quoniam sanguis febricitantium è vena missus plerumque viscidus & inspissatus existit; hinc medicamentis omnibus contra fictum hoc acidum pugnārunt, sed tristī ut plurimum successu, sicut antea monuimus: vix tamen atque ne vix à pessima illa hypothesi ullo modo, ne hodie quidem omnes, avelli possunt.

Si petamus ab eis, ut acidum in sanguine, cum primis febricitantium, quod tot morborum auctorem constituant, argumento quodam certo demonstrent; profectò neque gustus, neque chemia, neque cætera experimenta, quæ alias acidum in aliis corporibus parafaciunt, ullum ejus præbent indicium; cum autem nihil demonstrare possint, ajunt ab effectu coagulati sanguinis se ita judicare;

D 3

quasi



quasi verò sanguis non nisi ab acido spissari posset : sexcentæ sunt causæ, à quibus hoc idem fieri potest; vel tandem effugium quærunt, dicendo : acidum quoddam occultum morborum esse causam, quod ostendi non posset.

En, Auditores, pulchrum & argutissimum effugium ! miramini mecum acutissimum hunc argumentandi, sapientemque veritatis indagandæ modum, quem narrando solum nos satis refutasse arbitramur.

Accedit denique ratio maximi ponderis, Sydenhami methodum confirmans, vulgarem verò destruens ; nam in febribus in primis malignis & ipsa peste, sanguinem ad putredinem vergere, & re ipsa sepe putrescere, multa docent phænomena, quibus explicandis jam supersedeo. Si acidum horum morborum causa esset, sanguis non putresceret, quoniam nihil magis putredini est contrarium quam aacidum: dum autem putrescit, acidum non erit causa, nam effectus testatur de causa ; hoc ipsum autem confirmat salutarem acidorum in his morbis usum, ratio hujus ex modo dictis patet, id comprobante experientia.

Quomodo autem acida motum cordis & sanguinis blandiorem efficiant, æstum & sitim tam potenter temperent, ac putredinem avertant pellantque, quamvis genuinam horum rationem forte ignoremus, sufficit, experientiam, quod præcipuum est, nobis militare, & salutares illorum effectus ostendere.

Tempus & orationis limites jam non permittunt, ut innumera alia deliramenta exponam, quæ ex iisdem pessimis hypothesibus, de aliorum morborum causis & curationibus, de medicamentorum viribus, de usu partium corporis humani &c. protulerunt : Sapiens quisque facile ex dictis de reliquis judicare poterit ; mea enim hac oratione intentio solum fuit hypothesis medicarum in primis febrium

ORATIO IN AVGVRALIS.

37

brium vacillantia , imò caduca fundamenta ostendere , nec non indicare fontes , ex quibus meliora depromi queant ; quæ de cæteris dicenda sunt , ad alias occasiones mihi reservo .

Itaque hypothesis medicarum fallacia & inde pendente pernicie abunde , ni fallor , febrium præsertim exemplo , demonstratis , viaque indicata , qua incedendum ; ad Vos ut meam convertam orationem & tempus & officii mei ratio postulant , Auditores O. O. maxime colendi : Vobis omnibus tantas , quantas possum ago gratias , quod sepositis gravioribus vestris negotiis , me , de rebus Medicis , pro fausto meæ professionis auspicio , quam nunc ILLVSTRIVM ACADEMIÆ HVIVS CVRATORVM decreto suscipio , verba facientem , benebole audire non recusaveritis .

Sed quid pro tanto tamque singulari erga me beneficio vobis reddam ? dicam paucis : gratum & tam egregii favoris perpetuo memorem animum ; plura non possum , plura à me non desideratis .

A Vobis autem , Celeberrimi Patres hujus Academiae conscripti , peto , ne ægrè me in vestrum ordinem & amicitiam admittatis : operam dabo , ut hanc vestram erga me benevolentiam , omni venerantis & observantiarum cultu , gratus semper agnoscam , nec ullam testificandi officii mei occasionem prætermittam .

In primis vero jam Vos , salutifera artis Spectatissimi Antistites , Magnifice Bajere , atque Celeberrime & Excellentissime Hoffmannae , Vos , inquam , compello , vestrum præcipue imploro auxilium , ad extirpandam perniciossissimam illam hypothesisum Medicorum haeresin , imo pestem ; Si junctis viribus , quilibet in suo munere , acturi sumus , res nostra salva erit , ac victores triumphabimus .

Nullis hic destituimur mediis , studiosis artis nostræ scitu necessariis : habemus hortum medicum præ omnibus Academiis Europæ , sola forte Lugduno-Batava excepta , instructissimum ; ostendere



dere possumus laboratorium chemicum egregium , nec non thea-  
trum anatomicum satis splendidum , quibus plurimæ adhuc Acade-  
miæcarent : Est mihi armamentarium chirurgicum , selectissimis &  
optimis seculi hujus instrumentis , ad operationes chirurgicas quas-  
cunque perficiendas , ornatum ; Si igitur præter hæc studii Medici  
præcipua auxilia , studioſæ juventutis animos , non nisi saluberrimis  
theoriæ & praxeos præceptis imbuimus , quid non præstare poteri-  
mus ? quid non boni aliquando inde erit sperandum ?

Præterea maximè quoque cordi nobis sit , ne discrepantes , præsertim circa  
leviora nonnulla , opiniones , mutui amoris atque amicitiae divortia excitant , sed  
liberum potius sit modeſte ſentire cuique , quid velit , ſalvo amicitiae vinculo : non  
enim de religione certamus ; ſed coniunctim agamus in Academiæ noſtre ſplen-  
dore , tanto labore , tor ſudoribus parto , omni modo promovendo , illuſtrando ,  
augendo , quantum poterimus ; hoc autem in primis fieri , quando quisque noſtrum  
alterius ſtudium & labores laudabit , probabit , commendabit ; Ego certe , quid  
mei sit officii , nunquam obliviscar .

Tandem & paucis vos volo , Nobilissimi ac Preclarí Viri Juvenes , inprimis  
vos , qui in ſolitum aliquando multorum ægrorum , Medicæ arti vefra confe-  
crafis pectora ; Vobis me dabo totum , vobis mea officia ſemper præsto erunt ,  
nihil non faciam , quod vobis aliquo modo prodeſſe poſlit , totis viribus in vigilabō  
commodis veftris , ut ſic nobilem veftrum impetum conſtanter foveam , accendam ,  
inflammem .

Inprimis , ut , missis hypothefib⁹ & fabulis , ad vera artis ſacrae fundamenta  
vos deducam , cura mea erit ; propreterea celeberrimorum Scriptorum veterum &  
recentiorum ſententias perluſtrare conſtitui , à vero alienas , vel ex ſpeculatione  
naras , indicare ac modeſte conſutare ; præterea , quæ certa & fida nos docuerunt ex-  
perimenta , candide vobis cummuſicare , ac ſalutaria inde deducta præcepta  
exhibere , decrevi : atque ſic animos veftrorum diſponere , ut veri indagationi , re-  
jectis nugis , mature affueſcant , ut tandem , quod finis vefter erit , praxi ra-  
tionalem , id eft , veris fundamentoſis ſuperiſtructam feliciter inſtruere queatis .

Præ ceteris autem Medicinæ partibus , quia ANATOMES ET CHIRVRGIAE  
ab Generofiffimis noſtris Curatorib⁹ mihi deuanda eft provincia , ita me geram , ut  
nihil , quicquid ad harum exactam cognitionem neceſſariū eft , omittam ; con-  
tra quicquid Britannia , & Belguim , quicquid Gallia , quicquid Latium & Ger-  
mania noſtra in hiſ novi & boni haber , me Vobis propositurum atque oſtenturum  
ſincerè promitto .

Cæterū , Commilitones carifimi , etiamſi eruditione , eloquentia atque  
experiencia Collegis meis ſpectatissimis omnibus me inferiorem ſciām , lubensque  
agnoscam ; diligenter tamen , perspicuitate & candore , quibus nemini cedam , re-  
liqua compenſare ſtudebo . Ego preibo ; Vos , ſi confiſſum placet , me alacres  
ſequimini .

D IX I.

269 699

ULB Halle  
001 522 167

3



56,

1729.

TESTAMENTO DONATVS.

Berolinensis,

Med. Doct. & Pragmatico

CHRISTOPH. ERNST. CONONI.


a

Bibliotheca Academicæ Halensis

Libr.

V077

HA



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



LAVENTII HEISTERI

# ORATIO

DE

HYPOTHESV MEDICARVM  
FALLACIA ET PERNICIE,

PVBICE DICTA

IPSIIS NONIS DECEMBER. CIVI 10 CCX.

CVM EX DECRETO

ILLVSTRIVM ACADEMIÆ ALTORFINÆ  
CVRATORVM

ANATOMES ET CHIRVRGIÆ  
PROFESSIONEM

SOLENNITER SVSCIPERET.



LITERIS ET SVMTIBVS KOHLESII ACAD. TYPOGR.

